

De me ipso olim varioloso et morbillosa / [Heinrich Ludwig Rudolf Huebner].

Contributors

Huebner, Heinrich Ludwig Rudolf.
Sigwart, G. F.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tübingen : Sigmund, 1748.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f39xg9g4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

14
DE ME IPSO
OLIM VARIOLOSO
ET
MORBILLOSO,

DEO IUVANTE,
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DOMINO,
DOMINO

CAROLO,

DVCE WÜRTEMBERGIAE ET TECCIAE, rel. rel.
PRAESIDE

EXCELLENTISSIMO atque EXPERIENTISSIMO,
GEORGIO FRIDERICO SIGWART,

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE DOCTORE,
CHIRURGIAE ET ANATOMIAE PROFESSORE PVBL. ORD.
MEDICO AVLICO,
PRAECEPTORE ac PATRONO SVO LONGE COLENDISSIMO
PERMISSV GRATIOSI ORDINIS MEDICI
PRO DOCTORIS IN MEDICINA GRADV
FESTO DIVI GEORGII MDCCLXVIII.

DISPUTATURVS
SPECIMEN HOCCE INAUGVRALE EDERE CONATVS SVM.
A V C T O R

HENR. LVDOVIC. RVDOLPHVS HÜBNER,
Francofurtensis ad Moenum,
MED. CANDIDAT.

TVBINGAE LITTERIS SIGMVNDIANIS.

DECEMBER 1850

ALMA MATER

MORRILL

STORY UNIVERSITY MAGNET VISION
TERMINATING POINTS DOWN

CARROLL

VOICE WUTHERS

EXCELLENCE

FORGERY

PHOTOGRAPHY

THEORETICAL

PERMISSIVE

NO DOCTORS

COMMON

MR. LUDWIG

THEORY

THEORY



P R A E F A T I O.

De me ipso scribendi cogitatio animum forte non subiisset, & si subiisset, attamen, quod reor, ad idem tentandum sponte non excitasset, nisi ipsum Excell. atque Experient. Dn. PRAESIDEM consilii hujus Auctorem habuissem. Deliberanti de *Argumento* ad institutum meum *idoneo* sat multa quidem occur-
rabant animo, plura etiam, quæ in promptu habebat, *argumenta, theoretica & practica*, rogatus benevole proponebat Dn. PRAESES. Optio videbatur difficilis, eoque difficilior, quo magis de tali sollicitus eram re, quæ & *utilis* foret, publicatuque digna & explicatu tamen *facilis*, nec meas superaret vires. Deliberabundum me tandem liberaturus dicebat: si, *de aliis* quid scribas, adeo ambigis, scribe *de te ipso*, si quid habes, habebis autem procul dubio. De me? quærebam. Ita! respondebat, de te ipso quidem sic *inaugurando*, cum dubium non sit, quin *inaugurandorum* nemo facile exstiterit aut exstiturus sit unquam, ab omni valetudine ad-
versa, *thematis inauguralis* loco sumenda, immunis, & *medici de rebus medicis*, quas *in se & de se ipsis* experti sunt, scribere possint quam optime, & multo facilius certiusque, quam *de aliis*, optans una, ut idem magis animo secum versarent versaturique scripturis suis prosequerentur *inauguralibus* aliisque. In recentissimo exemplo monstrabat mihi *dissertatiunculam inauguralem medicam*, qua vel nudam *febris irregularis*, quam in se ipso expertus est, *historiam* exhibuit Dn. MATTHÆVS STOERCK, Suevo-Sulgaviensis. Vin-
A dobone



dobonæ 1766. ventilatam. Ratum etiam haberi justumque asseverabat, ut in aliis ita & in hujuscemodi speciminibus inauguralibus *dogmatica historicis* adjungi, si cui non *solis de se ipso* relationibus *historicis* adquiescere placuerit, quid? quod idem *speciminis loco* fieri consultius. Hisce monitis excitatus referebam, *me* quidem, quod DIVINÆ deberem gratiæ, maximam vitæ meæ partem pancratice valentem exstitisse, prosperrimaque gavisum fuisse valetudine, si à perpaucis discesserim afflictionibus, quas inter notabiliores existimaverim *Variolas* atque *morbillos*, singulares forte futuros hic *sciendorum & agendorum indices*. In horum itaque pathematum *historiam* & quæ inde profluunt, *dogmata, theoretico practica*, operam meam insumere illico Auctor suaforque erat Excellentiss. Dn. PRAESES. En! L. B. jucundam mihi de *me ipso* scribendi *occasionem*. En! una præviam instituti mei *rationem*, sat gravem, PRAESIDIS, puta, consilium, ita sane comparatum, ut mihimet ipsi ita vix amplius potuerim plane diffidere, in hac causa me posse consistere. *Præviara* hanc dixi *rationem*. Reliquæ enim *disendorum rationes* à re ipsa petendæ, nec hic *præfandæ*, in ipsa *argumenti* propiore *tractatione* suo loco dicendæ erunt. Ceterum, quod ultra hic *præfari* possem, nil habeo, præter tenuitatis meæ excusationem, quam, utpote præstiturus, quod potero, eo confidentius expeto exspectoque. Cum nemo ultra posse obligetur.

P R A E C O G N O S C E N D A.

§. I.

Tractandum à *me*, de *me ipso*, olim a) *variolofo*, & b) *morbilloso* *argumentum* ante omnia postulat omnino præviam sui *expositionem*, ex qua limites ipsius accuratius *definiri* prius possint, quam ad reliqua de illo postea ordinatius dicenda progredi licet. Obiter enim assumpto, & utcunque posito, necdum stabilito fixoque, & suis *definite* circumscripto limitibus, tractando aliquo *argumento*, ad illud spectantem doctrinam aggredi & prosequi velle, idem esse ac struere velle, nondum jacto, cui superstrui possit, *fundamento*, notius est, quod repetam.

§. 2. Quid vero pressius sibi velit substratum, inque *rubro* jam exscriptum *thema*, determinatu eo magis necessarium esse præ-

prævideo, quo facilius esse posset suspectatu aliquis in eo *verborum* *usus*, quo omnino ingenio indultum esset, quod à *technico dicendi* *genere* abhorreret. Enim vero, ut probe mihi gnarum est, repudiandam in disciplinis esse omnem *verbosam* eoque ipso versutillam quam luxuriam, eaque propter etiam *titulorum* nugas, *titulomania* nota infames hodie haberi, ita & hic id vitii devitare jubebar.

§. 3. Putari nempe posset quod minus ambiguum fuisset, si posuisssem, *non de me ipso*, sed de *meis* seu *propriis* variolis & morbillis me scripturum esse. Verum enim vero meas ipsius variolas *proprias* sane non bene dixissem, cum, quod cum aliis *commune* habemus, certe nobis *proprium* esse dicique nequit. Deinde de meis variolis profecto non in *abstracto* sed in *concreto* mihi agendum erit, *de me* ergo simul, utpote *subjecto* horum pathematum. Quanti enim sit, quamque iccirco necessaria, *subjectorum* ipsorum, in iis, quæ patiuntur, rite intelligendis, *cognitio*, cognitum habemus. Tantum itaque abest, ut hæc *inscriptio* non sit sat bene *technica* aut haberi possit *paradoxa*, ut potius aliter posita, non fuisset justa. De *me ipso* itaque hic simul dicenda dictu adeo necessaria sunt, ut etiam nil eorum, quod huc spectat, possit omitti. Hanc necessitatem ipsemet quoque ita mihi impositam esse agnosco, ut ne ea quidem omissurus sim, & tacite habiturus, quæ vel ipse tum minus recte & extra numerum feci modumque.

§. 4. De *me ipso* *meisque* *ipsius* variolis & morbillis disserturus, quid horum pathematum *nominibus* veniat porro (§. 3.) indicandum est. Quemadmodum in reliqua *pathologia definitiva*, ita & in hisce *definiendis* pathematibus tanta sæpe adhuc regnat *inconstantia* opinionum, cumque hisce rerum ipsarum *obscuritas*, ut, quo se vertant, sæpe nesciant, artis salutaris cultores, qui certiora quærent, nec ignorant, quanti nostra interest, ante omnia nosse, quodnam illud sit, quod curandum nobis offertur. *Ignoti enim* *nulla disquisitio*, *nulla curatio*, nulla certe ad *artis regulas* præscripta. Quæ enim quæso nondum *definite* cognito aliquo pathemate, rite definiri possent in reliqua ejus *cognitione theoretica* & *præctica*? *Variolarum* & *morbillorum* aliarumque afflictionum nostrarum *intimiorum indolem* nos latere, si *obverteretur*, regeri oporteret,



ret, aut plane aut non plane nos latere, quid ejusmodi *vocabula* significarent. Assumpto *priori*, *inania* hæc essent, nec quicquam, quod ultra dicere aut curare possemus, nobis relictum esset. Concesso *posteriori*, quænam illa sint oblata nobis pathemata, *definite* prius utcunque, indicari poterit & oportebit, quam ad illa ultra indaganda & curanda progredi licet. Hæc hætenus eum in finem, ut intelligamus, quo loco habendæ sint hic præmittendæ *variolarum & morbillorum definitiones*. Eccas!

§. 5. *Variolæ* sunt pathema exanthematicum pustulosum, suppuratorium, quod ordinarii decursus sui statis quatuor distinctis prope æqualibus triduorum maxime stadiis terminatur, primo nempe, quo materia illa suppuratoria præparatur, secundo, quo præparata in pustulas ex tuberculis rubicundis successive incrementibus, majusculas congeritur, tertio, quo in illis congesta suppurationem ipsam concipit, & quarto, quo siccescit siccataque tandem decidit. *Morbilli* autem sunt pathema exanthematicum maculosum serosum, quod ordinarii decursus sui statis tribus triduorum maxime stadiis distinctis prope æqualibus terminatur, primo nempe, quo materia illa serosa secernitur, secundo, quo secreta adque cutim delata maculas rubras, planiores, latiusculas, (latiores saltem petechiis) super cutis superficiem perparum eminentes format, tertio, quo illa halitu difflatur, maculis illis tum excrementibus.

§. 6. Indicatis hætenus (§. 1 — 5.) præfixi *thematis determinationibus*, hæc tantum addenda adhuc habeo. De *variolis & morbillis*, quibus *ipsemet adfectus eram*, me scripturum esse prædixi. *Plena* proinde de illis doctrina heic neutiquam expectanda erit. Quin ne sic quidem omnibus numeris completam promisi disquisitionem, sed *specimen* hujus tantummodo, & hujus insuper speciminis *conamen* tantum. Id quod in *sine inscriptionis* hujus dissertationis aperte indicavi, & præsertim notari velim, cum non ex amplioribus, sed ex indicatis angustioribus, rerum viriumque mearum limitibus metienda sint, quæ hic traditurus sum. Ceterum tamen specimen illud *indefinite* posui. Et cum *indefinite posita in toto suo accipienda* sint ambitu, ita non nudum tantum involvo *historicum*, sed *historico-dogmaticum*, & quoad posterius quidem,

dem, utrumque porro, quod sub se complectitur, *theoreticum* nempe æque ac *prædicum* (§. 7.).

§. 7. Ita vero nil deesse amplius existimo, quod præter dicta (§. 3 — 6.) ad debite figendum & *definiendum* argumentum meum spectaret. Qua illud ratione pertracturus sim, jam ex ipsis modo præmissis poterit intelligi. Eadem nempe qua, ista modo prælibavi, in reliquis de illo exponendis uti pergam *methodo*, *placabili* quippe, cum *rigorosi* non possim, & si possem, non ausim, neque *receptiore* alias atque *acceptiore pulcriore* & *politius profluentiore dicendi genere* uti mihi liceret, & si liceret, iterum non possem, qui quippe in eo me minus exercitatum esse, probe sentio. *Historico-dogmatica* traditurus, *stylo* in illis *historico*, inque *his* iterum *alio* uti juberi forte visus, ingenuo fateor, eorum adcuratius servandis discriminibus me esse imparem.

§. 8. Neque tamen ea omnia (§. 7.), ut opinor, obstant, quo minus aliquam tenuioris hujus tentaminis futuram ausim spondere *utilitatem*, quantumlibet adeo præclara & pulcra minari non possim, nunc, ut semper convictus, cavendum nobis esse ubique, ne id opprobrii nos turpiter dat cujus reum se facit quilibet

— — — — *magno promissor hiatu.*

Sine ulla enim arrogantia polliceri licet, *usum* nisi valde magnum, non tamen nullum exinde expectandum esse, vel ex ipsa jam *mea* *ipsius parte* & præterea *ex parte rei*. *Ex hac*, quia plura notatua digniora phænomena suppeditant, quæ passus sum, dicta (§. 5.) *pathemata*. *Ex mea*, non quidem, quod facile largior, alicujus dexteritatis meæ respectu, sed hoc, quod, quæ hic publicanda habeo, *de me ipso* habeo, adeoque spes aliqua esse potest, à *me de me ipso*, quam de aliis aliunde longius petitis, certiora cum publico communicatum iri.

§. 9. Inter alia, quæ mihi legenda dabat Dn. PRAESES, primo loco inspiciendam commendabat G. C. DETHARDINGII *Diss. qua exhibet historiam morborum conscribendi fidam & arcanam methodum*, *Rostochii* 1734. Perlecta hac novo ad proseguendum meum institutum stimulo excitatus de certiori illius *usu* (§. 8.) mihi desperandum haud esse censui. Neque id me detertere patiebar,

quod ad illud me peritiores, recte quidem, ibidem requirantur. Interim enim audendum aliquid esse, & hac in re sic insuper tutius tentari posse (§. cit.) existimavi. Tantam ceterum *methodi* hujus *fide* & *arcane* prærogativam, *necessitatem* & *utilitatem* facit laudatus AVTOR, ut hæc prope sola fida & medicorum arcanorum maximum censeretur possit, omnisque reliqua, cum hac comparata, minus fida reputanda sit. Haud alienum hic fore existimo, quædam inde exscripta huc referre. C. IV. §. 13. ita: *Quæ allata* (de historiis nempe eorum morborum, quos in se ipsis non experti sunt Medici) *cum ita sint, ut per omnia consentiant, non posse Rempublicam medicam expectare fidas magis studio clinico salutare & proficuas observationes, quam à medico, qui morbis correptus, ab his detentus, aut demum eluctatus fuerit, sponte ruit, hunc talem esse debere, qui in arte medendi sit versatus & quem RATIO & VSUS fecerint indies EXPERIENTIOREM.* Qui nomine saltem medici fulgent, hi non nisi RECREMENTA OBSERVATIONUM ponere valent, ut silentium magis, quam scribendi lubido sit prudentiæ documentum. — — C. V. notabilia exempla proferuntur eorum Medicorum, qui de suis ipsorum afflictionibus scripserunt, licet, qui idem jam fecerint in suis specimenibus inauguralibus, illos inter occurrat nullus, nec præter STOERCKIUM, in PRAEFAMINE excitatum, mihi cognitus sit alius. Illorum vero AVTORUM catalogo hoc subjungitur monitum. En! ergo viros edecumata peritiæ, nobis in tam laudabili in commodum totius generis humani vergente studio præeuntes. Presso pede eos sequamur, emendemus, quæ ab ipsis sunt neglecta & imperfecte tradita, & cum morbis oppressi ipsimet à praxi clinica detinemur, hæc sint in nostro lecto otia, hæc sint loco inanium & sterilium amicorum & amicarum confabulationum temporis traductiones, ut adcurata quarumvis etiam minutiarum observatione & concinna symptomatum atque medendi delineatione historiam morborum pedetentim reddamus fidam magis, & quantum possibile omnibus numeris absolutam. C. VI. §. 3. hæc porro: Non eo mens redit, ut qui medici morbis fuere obnoxii hos omnes & singulos calamo prosequi debeant. Jam dudum Vratislaviensium morborum collectionis Autores GRAEBNERI suggillationes, quasi hoc postulatum eorum esset, acriter perstrinxerunt. Et paragrapho sequente: Horum, (artis peritorum) jam erit rei medicæ publicæ,
dum

dum a morbo consumuntur, vel saltem vexantur, inservire & viritum atque singulatim exponere, quæ invaletudinis fuerint insidia, quæ sociæ causæ, quæ tempora, qui mores, quibus subsidiis & armis vel diateticis vel pharmaceuticis contra ire placuit, quocum successu. cet. Tandem hæc CLAUSULA: Quenam ergo non commoda & quantum augmentum non perciperet medica scientia, si adflicti clinici errorum, quos vel animi angor, vel gula incontinentia, vel adstantium illecebra, vel casus fortuiti pepererunt memores hos una proderent. Tale adeo fidelium clinicorum obsequium expectare, pium recte dixeris desiderium pios inter minimum.

§. 10. *Duo sunt morbi, quos expendendos sumsi (§. 1.), duo itaque circa utrumque considerationis momenta primaria, historicum nempe & dogmaticum (§. 6.). Duo itaque partitionis fundamenta poni possunt, unum, quod juxta partim de historicis, partim de dogmaticis ad utrumque morbum spectantibus seorsim agere licet, alterum secundum quod partim de Variolis, partim de morbillis meis utrinque tam historice, quam dogmatice consideratis separatim tractandi ratio suppetit. Priorem autem partitionem præferendam hic esse intelligo, utpote finî præsentî congruentiorem, cum festinandum & brevitati studendum sit, ita vero, quæ uterque morbus, quoad utrumque considerationis objectum dogmaticum communia habent, citius faciliusque una expediri poterunt. Vnam itaque partem historicam, alteram dogmaticam constituam, et illam quidem primam, hanc vero secundam. Ratio ordinis sponte patet. Ex historicis, quæ de dictis pathematibus referenda habeo, dogmatica demum deducenda sunt, adeoque his illa præmittenda. Inde*

PARS I. HISTORICA.

§. 11. *Ordo naturæ, quod, quoad invasionis tempora, se invicem alias excipiunt hæc pathemata, variat teste experientia. Nunc variolæ morbillos, nunc hi illas antecedunt. In me hos illæ præcesserunt. In aliis contrarium observatur. Præterea neque quoad horum pathematum indolem, neque quoad eorum gravitatem tale occurrit discrimen, a quo constantiorem doctrinæ ordinem petere liceret. Nunc hæc, nunc illa graviora existunt. Et*
utrum

utrumlibet sint, qui rem a *potiori* determinaturi, statuant, *variolas* ut plurimum *prævias* esse, *morbillis*que plerumque *graviores*, periculosioresque, sunt tamen ex altera parte alii, qui aliter sentiunt, ut, si suffragiis res decidenda esset, nondum sat idonea suppetere ejus testimonia. Neque tamen plane nullam mei hic ferendi *ordinis rationem* habere videri velim. *Vnam* præbent, notatu digniora phænomena, quæ sub variolis meis eveniebant. *Altera*, ut ut debilior, non ideo tamen nulla est, quod hæc in me prægressæ sint morbillos. Quo itaque *ordine* in me hæc expertus sum pathemata, eodem & earundem communicabo historias quarum igitur prima est.

HISTORIA

MEARVM IPSIVS VARIOLARVM.

§. 12. A *sanis sanus* natus sum, exstitique post nativitatem maximam vitæ meæ partem, *sanguineo-cholericum* temperamento, omnia me fallunt, donatus, *habituque corporis* mediocriter carnosus, numquamque obesiore præditus. *Ineunte ætate* morbis quidem huic communioribus, *achoribus* & *scabie* laboravi. *Postea* vero annum usque ætatis meæ duode-vigesimum pancratice valebam nunquam interrupta toto hoc tempore, firmiori valetudine. Neque *Variolis* aut *morbillis*, ut ut cum hisce adflictis versabar sæpius, neque alio tentabar morbo, *quantumvis* tum temporis omnibus externarum rerum adversitatibus divexabar, itinerum, negotiorumque molestiis, sæpe nullam mihi partem, neque diurnæ neque nocturnæ quietis impertientibus, subiectus, tempestatumque injuriis & quibusve melioris diætæ obstaculis obnoxius.

§. 13. Ex hisce vitæ necessitatibus durioribus in *quietiore* tandem *vitam*, litteris propius impendendam, OPTIMI PATRI cura transferebar. Neque vero sub ipsa hac celeriori tantaque vitæ mutatione neque post eam *sedentarius* factus graviore tentabar ægritudine, excepta *febre tertiana*, quam redux experiebar per totam hyemem quidem durante, sed primo vere feliciter cessante, inque priorem lætiores sanitatem cedente.



§. 14. Post illam febrem per continuum biennium in me-
ori iterum eram causa, nilque obstabat, quo minus non inter-
upto studio laboribus meis vacare potuerim. Exacto sic hoc
biennio de improvviso celeriusque mea opinione totus *mutatus ab*
lo eram, corpore animoque, juxta ac toxico temeratus essem si-
eratusve. Contremiscebam illico frigore per universum corpus
diffuso correptus, pungebar dolore ex spina dorsi exsurgente in-
ensissimo, vacillabam vertiginosus, prosternebar deliquium pas-
s, inque lectum delatus ad vesperam usque sine ullo sensuum
u decumbebam.

§. 15. Accidebant hæc mense majo anni 1758 *calidiore*
m existente *cæli temperie*, quo tempore etiam *nulli in viciniis oc-*
irrebant variolis adfecti. *Medica* expetebantur auxilia. Accer-
bantur duo *Medici*, unus ordinarius, alter ab Exteris redux,
tis medicæ peritissimus. Dabantur tam *externa* quam *interna*
citantia, *diaphoretica*, utrinque *calidiora*, pro viribus resuscitandis.
esperascente die *vena secari* curabatur. Difficulter quidem flue-
t sanguis, adhibitis vero artificiis solitis sufficiens tamen san-
inis copia educebatur. Hactenus *omnia*, quæ mecum ageban-
r, *incerta*, vel apud ipsos Medicos, qui quid sibi velit hic insul-
s, nesciebant, omniumque minime de forte futuris variolis con-
turam faciendam esse, cogitabant.

§. 16. Ego vero, qui hactenus mentis impositus decumbebam,
(§. 15.), post hanc *sanguinis ventilationem* protinus ad me redibam
erum. Paulo post placidus me complectebatur *somnus*, & no-
em ducebam quietam. Postquam evigilabam, eo me multum
fectum esse sentiebam, quamvis *sudore* profusissimo prope diffloe-
m. Ad rem meam attentior advertebam, universum meum
rpus *tuberculis*, densioribus agminibus congestis, & quibusdam
locis, facie, colloque & pectore præsertim, in *pustulas* jam ele-
tis ubique oblitum confertumque.

§. 17. Jam nunc ex *conclavi*, & ob tempestatem flagrantio-
m jam calidiore in, multo *calidius* artisque calore flagrantius, in
illam veluti caldariam, transferebar. *Diaphoreticorum* usus in-
rim continuabatur. In corpore meo antea jam enormiter *pustu-*
lante



lante & pustulato, pustulosa hæc exanthemata *mole* non modo sed & *numero aucta*, ita crescebant, ut nullo prope vacuo in cute al illis relicto vix amplius interstingui possent. *Intumescebat* tota corporis superficies, *facies* præsertim, inque ea nares oculique ut *cacus* adeo per tres dies, & ultra, jacere cogerer, & *calore inflammatorio*, *os faucesque* maxime infestante, prope comburerer. At erant attamen reliqua alias concurrentia symptomata, Cephalalgia, tussis, præcordiorum angustiae, diarrhoea, appetitus reli quarumque virium enormiores defectiones.

§. 18. Facto tanto incendio certe de illo etiam exstinguendo cogitandum erat. Adhibebantur igitur *antiphlogistica*, mixturae, emulsiones ordinariae *temperantes* dictæ. *Regimen* curabatur temperatius, igne fornacis non quidem plane extincto, moderatamen. *Linctus* pariter solemniore, nec ideo hic exscribendoris & faucium inflammationi opponebantur. Sic dictorum usum dicamne? an potius naturæ beneficio? *omnia* fiebant *tranquilliora*. Febris remittebat & prope cessabat. Oris fauciumque inflammationo mitescebat, visio recurrebat. Vergente *triduo* illo pro adeo molesto, exanthemata hæc *suppurationem* subire incipiebant magnam quidem, sed facilem, & quæ sine graviore symptomate pariter *tridui spatio* perficiebatur.

§. 19. Post illam (§. 14 — 17.) itaque tam vehementius symptomatum, quæ in tanto erant timore, syndromen nihilominus præter omnem spem & opinionem, ipsorum etiam Medicorum adeo felix erat hæc (§. 18.) Catastrophe. *Stadium* hoc ita emer fus in *sequente* multo magis indies *levabar*, non obstante tanto huius inquinamenti putridi squalore, quo totus obsitus eram & impuratus. *Obscurabantur* exanthemata hæc, *densabantur* exhalatione nuiore illuvie, *exarescebant*, *siccataque* decidebant. Ea omnia eveniebant, & facile, & sine ullo insolentiore incommodo. Nec protractius hoc erat *siccationis*, quam *suppurationis tempus*. Vix enim ultra *triduum* hoc quoque suum opus prolongabat benignior natura. Turpiores in cute *reliquias* præcavendi causa adhibebam ut quædam ex $\circ\circ$ ovar. bol. Armen. Cerufs. & \approx ra. Illud verum ut ut sedulo illitum, non id præstabat, ut relicta inde exstantior

estigia non amplius documento esse possint copiae et indolis horum exanthematum. Tandem more solito medicamento alvum lucente expurgabar.

§. 20. At silentio non praetereundum est, quid ipsemet forte eccauerim ipso hujus invaletudinis meae tempore (§. 3.). Id enim in confesso habere de me ipso, utpote mali *subjecto*, confert ad ipsum malum melius cognoscendum. *Lectio* addicebar, *aëre* beriore prohibebar, tenuiore et parciore *cibo* uti jubebatur, intericebatur mihi *vino*, imperabatur *quies*. Verum hæc omnia frustra. Tum enim minori quidem, quam, quo nunc forsan gaudeo, jure ita sentiebam: *Obsequium* amicos, *obedientia* sæpe præstera parit, minimum sic denegata hic nil mali. *Lectio* itur me plane affigi non patiebar, surgebam cubitu, aërem piebam liberiolem, obambulabam, nec mihi temperare poteram, vigeat enim appetitus, a panis et vini usu. Inscis aliis, quoad licuit, ea faciebam. Ita vero certe *obsequiosus* non videor tantum, sed eram reapse, quantumvis ad eorum, quæ mihi imperata erant, ne ullum quidem *obediens*. Utrum præterea obedientia sic denegata una deseruerim *meliora*, vel *physice*, vel *moraliter*, de eo hic non disquiritur, ubi *historica* tantum volo. Illud *dogmatica* spectat. De quibus vel alibi vel hic ex parte postea loco. Ex eadem ratione *dogmatica* cum *historicis* non confundenda mihi erunt in altera nunc (§. 11.) addenda

HISTORIA

DE MEIS IPSIVS MORBILLIS.

§. 21. Hæc illa *multo brevior* esse poterit. *In se* ipsa enim jam *utiliora* nobis offert referenda, et hæc iterum contractiora facere adet *finis* præfixus. Præterea eorum, quæ huc una spectant, quæ jam supra (§. 12 — 14.) indicata sunt, hic itaque non retenda.

§. 22. Continuos quatuor annos *post Variolas* meas salvus incolumis degebam, nullo tentatus morbo. Hoc temporis injectu ordinatiole utebar diæta, non quidem servili, sed liberaliori,



liori, cum frugalitatis et *temperantiæ* præcepta sint *mediocritatis* præcepta, et solo etiam hoc nomine bene *diætetica* & *medica*.

§. 23. Integro hoc quadriennio post variolas adeo feliciter ita exacto, mediis aquilonibus, me accesserant *morbilli* plane *inexpectati*, cum tamdiu mihi pepercissent, atque eo etiam tempore, quo illis propinquior cum iis ipsis, quos detinuerant, diu multumque ad ipsos eorum adeo lectos toties serviendo, versatus fueram, intactum reliquissent, nec, quod pariter hic reticendum non est, tum temporis ulli fuerant, qui iisdem laboraverant. Improvisum hunc eorum accessum æque ac protelum dubium et formidolosum reddebat commeatus impetuosiorum *symptomatum*. Ingruebant enim cum illis tot, quot non cum *variolis* meis, & quam cum hisce, multo graviora atque ominosiora maximam partem; *uti* æstus ab ortu et in progressu eorum intensissimus, nausea, vomituritio, tussis, fauces aridæ, sitis fervida, appetitus dejectio, reliquarum virium defectio, pruritus acerbiores, capitis dolores, alvi obstructions pertinaciores, inquietudines molestæ, animi perturbationes deliriosæ, agrypnia, febris præfertim tanta acuties, ut vel ipsi Medici de mea desperaverint salute.

§. 24. Quarto ab eo, quo male me habebam, die emicabant solita illa exanthemata supra (§. 5.) descripta. Protrudebantur illa comite largiore sudore, quamvis hætenus in *conclavi* valde *frigido* decumberem. Ex hoc jam in *calefactum* transferebar, ubi sine aucto nimis hoc fornacis calore attamen augeri sentiebam *febrile* in me incendium, quod nunc potius debuisset imminui, ejectis quippe sic et ad peripheriam delatis, ut VETERVM hac in re stylo utar, carbonibus adustis, ignis illius filiis. Neque denegatis insuper frigidiusculis, caloribus tam apte opponendis, non nisi *calida* ingerere cogebar. Neque *directe* calefacientibus addebantur alia *indirecte* calefacientia, *diaphoretica*, *bezoardica*, *alexipharmaca* dicta, sed *temperantia* potius, & refrigerantia.

§. 25. Ad finem properante *triduo secundo* æstus mitescebat *tertio* inde magis remittebat, tandemque evanescebat. Verum non, ut post prius variolosum, ita *post* hoc, morbillosum pathema

mox me tam belle habebam. Ex eo enim per tot discrimina elutatus, ad priorem incolumitatem ægrius tardiusque perveniebam. Relicta enim insigni *lassitudine* & *infirmirate* furgebam, talipedans, totoque corpore mero veluti gravis titubans, atque ita *consumtus*, & ignibus istis quasi exustus, ut omnino vires recolligere pristinumque robur recuperare tam facile non potuerim ac *post variolas*, ex quibus convalescebam mox pedissequa priori valetudine.

§. 26. Tantum de duobus illis (§. 12 — 26.) de me ipso *casibus*, quos relatu dignos fore prædixi (§. 8.) & fuisse re vera, ipsi nunc, credo, de se ipsis testari possunt, relatis eorum historiis. Idem vero etiam ex eo præprimis confirmari præsumsi (§. 1.), quod plurimarum utilium inde deducendarum *veritatum* foecundum præbere possint *fundamentum*. Superest ut idem jam *ipso facto* comprobem, ut, inquam, proponam ipsa, quæ inde lucrari possumus, *dogmata*. Subjungenda proinde est (§. 10.) priori *argumenti nostri parti historice*

PARS II. DOGMATICA.

§. 27. Quod ex allatis de me ipso casibus multa in futuros praxeos meæ *usus* scitu factuque utiliora discere minimum potuissem, quæ non ita potuissem aliunde, nemo, confido, negaverit. Non vero plane nil me inde didicisse qualicunque nunc etiam *dogmatico* specimine ostendere jubeor. Tentabo illud *paucis*. Plures etenim hic sese offerunt inde profluentes *veritates dogmaticæ*, quam quas comprehendere amplius possint hæ paginæ. Earum *precipuas* attingam. Cumque ne has quidem evolutiores sistere liceat (§. 6.), eas in angustius contractas *aphorismorum* idiomate ex parte proponam.

§. 28. *Veris variolis morbillisque* me adfectum fuisse, non est, quod expressius demonstrem. Id enim ex collatis *definitionibus* (§. 5.) cum iis, quæ in utraque de illis *historia* dicta sunt, tam facile poterit suppleri, ut hoc labore brevitatis causa me hic eximi posse, nullus dubitem.



§. 29. A parentibus *sanis* me *sanum* natum fuisse, memini (§. 12.), & meminisse, par erat omnino. A JOVE PRINCIPIVM, inde quoque capiendum. Inter præcipua enim beneficia, quæ DEO debemus & PARENTIBVS nostris, quam maxime quoque referenda ea est felicitas, qua a *sanis nascimur sani*, quales, ut sic nati existimus, ita eo certius erimus existuri, ceteris nempe paribus, nisi, inquam, vel jam a tam felici nativitate obstiterint primæ coctionis & educationis vitia, vel postea nostra ipsorum perversa vivendi ratio, vel aliæ in hac vita sæpe ineluctabiles rerum externarum injuriæ. Jacta enim sic valetudinis nostræ firmiora fundamenta ad firmiorem futuram incolumitatem plurimum conferre, ratione & experientia communi constat, meoque ipsius etiam exemplo hic (§. 12.) abunde confirmari ratum habeo, qui certe hoc beneficio destitutus, neque tam duras vitæ meæ necessitates adeo impune perferre illisque non obstantibus, a malis inde alias imminuentibus, immunis manere, tamque diu nihilo tamen secius inconcusso valetudinis robore superstes fuisssem, neque ipsa isthæc, quæ modo commemoravi, sane non naturæ sed aliunde evenientibus, erroribus adeo obturbata exacerbataque pathemata (§. 17 — 24.) tam feliciter superare, exque illis sine ullis, alias tam frequenter pedissequis, damnis eluctari potuisssem. *Singulare hoc beneficium* sæpe vel plane non agnosci, vel non debite, aut parcius, credere licet. Hanc ipsam vero illius ignorantiam & negligentiam, ad *incognita* quidem *peccata* referendam, ea propter tamen nullo modo excusandam esse, quis negaverit? Ecquis proinde alienum hic dixerit, quod *dogmatum* ex præmissis jam eliciendorum hocce fecerim *primum*, qui ob id ipsum accepti hujus beneficii hic immemor esse, nec potui, nec debui, in posterum etiam non passurus, ut pia hujus juxta ac aliorum innumerabilium, quæ DEO & PARENTIBVS debeo, beneficiorum memoria gratissimum unquam deferat animum,

— — *dum spiritus hos regit artus.*

§. 30. Panicum excitant sæpe sæpius, quæ de morbis *contagiosis* vulgo dictis, circumferuntur erroneæ opiniones. Panicos vero ut plurimum esse ejusmodi terrores ratione & experientia du-

dum

dum forte propius deprehendi potuisset, si curiosior ad eam rem, melius indagandam, accessisset diligentia, nec oscitantius solis fism fuisset vulgaribus translatitiis sermonibus atque vagis rumoribus. Ita nempe habet isthocce plebiscitum: *morbi epidemici sunt morbi contagiosi*; cur? an quia *epidemici*? Illud id ita ferre intelligitur, quando *epidemicus morbus* non modo *synonymice* dicitur contagiosus, & in nostra vernacula ideo audit: *Eine ansteckende Seuche*, sed & *definiatur* contagiosus. Quæ vero hic loquendi, quæ definiendi, quæ argumentandi aptitudo, intelligentia, scientia? si plures aliquo morbo simul adficiuntur, an ideo unus ab altero? Nonne *miasma* illud *inficiens* aliunde venire potest, & reapse venire plurima testantur? Vnde, quæso! Qui *primi* ex ejusmodi *malo epidemio* laborant, inficiuntur? Næ! non ab aliis infectis, nondum existentibus. Deinde his jam existentibus, quot, quæso! inficiuntur, qui non versantur cum infectis, & quoties, qui cum his versantur, non inficiuntur? Vel ipsa *pestis* eadem confirmat, ut certissimæ, quæ de illa habemus, historiæ testantur. Quæ cum ita se habeant, & *metus contagii* vel ipsa *peste* pestilentior sit, ut panica ista exfolescant, quovis modo curandum est.

§. 31. Dulcia hæc & ad erigendos eorum animos, qui ad lectos ægrotorum forte justo timidiores esse possent, opportuna Dn. PRÆSIDIS monita, in animo mihi scripta, hic repetere jubear, nunc propius intelligens, eadem hic mea ipsius, quam *de me ipso* habeo, experientia, egregie confirmari justeque huc trahi posse. Communis est *variolosi & morbillosi contagii metus*. Spernunt quidem hunc metum variolæ & morbilli. Quamvis vero *metus* ille haud faciat hæc pathemata, utpote non nisi præstituto suo tempore ventura, hæc tamen nondum ventura diutius frustra terrent, jam vero ventura, minus impune terrent. Hujus enim *animi adfectus*, quanta sit in morbis perturbandis efficacia, abunde scitur, & vel ex eo solo constare potest, quod vires deprimat, debilitata autem natura morbis superandis sit impar. Præterea hic metus sæpe etiam *ad afflictorum curam* impedit, vel ab ipsis parentibus, qui ista nondum experti suat, circa suos ipsorum liberos, illic ad afflictos, adhibendam. Quam nocivus hic *metus* est, tam necessaria est aliqua ejus *antidotus*. Eam hoc præ-



præbet assertum : *variolosa et morbillosa pathemata vix ac ne vix quidem contagiosa sunt, minimum non ita, ac esse vulgo creduntur.* Id meo ipsius exemplo hic notius fieri existimo. Cum variolosis (§. 12.) aequè ac cum morbillosis (§. 23.) sæpe multum versabar & ad eorum lectos adeo serviebam, horum malorum nihilominus expers. Corripiebar illis, quo tempore omnes ab illis erant immunes (§. 15.) et immunes pariter manebant, qui tum mecum versabantur, nec ea experti erant antea. Id quod eo minus expectandum fuisset, cum quo graviora & virulentiora erant mea hæc pathemata, eo magis contagiosa, eo facilius suam propagare debuissent contagiem. Quod ita mea ipsius *de me ipso*, id communis adeo *de aliis* comprobatur *experientia*. Cur enim, ut sola duo hæc exstantiora exemplorum genera excitem, cur, qui *in uno* eodemque *lecto* decumbebant cum variolosis, variolis non una inficiebantur? Cur *infitionis* ope intimius implantato hoc miasmate varioloso variolæ toties tamen *non* extrudi possent aut extruderentur, *non vera*, si tam contagiosa esset miasmatis hujus indoles? Nec obstat hisce debilior ista objectio, quæ peti assolet a *subjectorum dispositione*, a *causis*, ut loquuntur, *disponentibus*, & *prædisponentibus*, & ob has vel nondum, vel plane non *dispositis*. Ea enim, quam hoc, plus non dicit : Causa efficiens in eo, in quo nil efficere potest, nil efficit. Quis nescit hoc tritissimum? Et quod illinc effugium?

§. 32. Modo demonstrata ad hoc me ducunt assertum : *variolarum & morbillorum fiendi & existendi principium intra nos a nostra ipsorum natura potius, quam extra nos aliunde repetendum est.* Illud namque *primo* ne in ipso quidem nato evolutoque miasmate varioloso & morbilloso. & *deinde* in nullis aliis alias *morbificis causis* deprehenditur. Prius modo dictis (§. 31.) probatum est. Vnde simul *consequens*: multo minus illud a *nondum nato* ejusmodi miasmate repetendum esse, adeoque etiam non à *parentibus*. Namque nascuntur quoque à parentibus, qui variolas & morbillos nondum experti sunt, & ab his nati attamen variolis adficiuntur. In parentibus *contra*, qui passi sunt variolas & morbillos, antequam generarunt, miasma illud, quod in generatos propagare potuisset evanuit. *Illa* vero singularia generantium & generatorum latibula

la, in quibus tamdiu delituerint, vel nascitura, vel nata, ejusmodi miasmata, dudum *exsoleta* sunt, & inter *deperdita medica* hodie referenda. *Præterea a nullis etiam aliis* alias morborum effetricibus *causis* horum exanthematum natales derivari possunt. Ego certe illis abunde, nec tamen iccirco his obnoxius eram. Quid? quod postea contraxiebat. Cum ab illis immunis existerem, eo ipso tempore his corripiebar (§. 15. 23.). Huic meæ *de me ipso experientie* iterum suffragatur *communis*, qua constat, variolas & morbillos nasci & non nasci tam absentibus quam præsentibus aliis alias mortificis causis. Sæpissime observare est, eos ab illis corripì, qui vel *optima*, contra intactos relinqui, qui mala, quin *peffima*, utuntur *dieta*, imo, quod maxime notatu dignum, hos, qui mala, quin *peffima* gaudent vivendi ratione, ideo *non peffimis & malignioribus*, sed haud raro *benignissimis* adfici variolis & morbillis. Ex quibus tandem efficitur, ut *variola et morbilli sint a nostra ipsorum natura potius repetenda, quam aliunde.*

§. 33. An itaque (§. 32.) pathemata ista (§. 5.) non sunt *status præternaturales*? An ideo non morbi? quid ergo? *Pathemata* certe sunt. Qualia autem? An a *morbofis distincta*? Et quomodo? Adhæc plura hic non habeo addenda, utpote a fine meo jam remotiora futura. Propiora dabit data occasione et enucleatiora *Experientis. Dn. PRAESES.*

§. 34. Illo (§. 32. 33.) non minus momentosum, hic addendum, dogma hoc est: *Quam variolosa et morbillosa, non alia dantur mortalium pathemata, quæ quoad ortum æque ac decursum suum, certiora magisque fixa servant tempora.* Quod *decurfus* sui *stadia* tam fixa teneant, ut ne quidem aliunde mire impedita ab illis deturbari possint, meo ipsius didici exemplo (§. 15 — 20. 23 — 25.). Idem omnes rerum medicarum observatores in confesso habent. De *ortu* non æque. *In me* certe iterum tam stabili naturæ lege præstitutum fuit, ut nullo tempore, quo potuissent, & ne eo quidem, quo omnium maxime (§. 12. 23.) debuissent expectari, sed eo ipso potius quo omnium minime speranda fuissent, (§. 15. 23.) nascerentur. Neque certe desunt *alia* similia hujus rei *exempla* luculentissima.



§. 35. Indicatæ huc usque (§. 32. 34.) tres quatuorve ita stabilitæ *naturæ leges* altius fane innuunt *consilium*, nobis hic *verendum* omnino, atque majori studio, quoad licet, ultra investigandum. Quo enim propius illius consilii assequimur vestigia, eo certe feliciora etiam hic nostra erunt consilia.

§. 36. Inter primaria nostra *dogmata practica* militant, quibus de *egris examinandis* horumque *morbis indagandis* erudimur. Mirum non est, quod ego, non medicus, *accessum variolarum* mearum non citius noverim, cum, quid futurum hic esset, diu ignoraverint vel ipsi Medici, qui citius id scire potuissent & debuissent. Nolim ipsis sic esse injurius. Juste enim ejusmodi *prænotiones* a nobis postulari possunt. *Postulati probatio* in promptu est. In *morbis examine* non modo *prægressorum*, sed & *non prægressorum* ratio habenda est, præsertim communium illorum pathematum. *Canonis* hujus *oblivio* ut circa hæc adultiorum, quam circa juniorum pathemata *facilior* est, ita & *frequentior*, quoniam variolæ & morbilli rarius proveciorem ætatem expectant, adeoque adultiores iis jam jam adfecti fuisse præsumuntur, quasi, quod rarius, idem & semper ita eveniret. Tam *nil excusationis* igitur inde habere potest melioris ejusmodi hac in re *prænotionis defectus*. Si a Medicis meis quæsitum fuisset, utrum variolis olim laboravissim nec ne, de eo facile certiores fieri potuissent, ipsisque sic minimum *verosimile* fieri potuisset, has forte futuras esse. Verum nos hic non ad rei modo *probabilitatem*, sed ad ejus usque adeo *certitudinem* pervenire posse, ausim statuere. Ecce hujus *problematis resolutionem*, & *demonstrationem* haud adeo difficilem: Inspiciatur, ut par est, in quavis morborum indagine *rerum*, alias minus apte dictarum *non naturalium*, catalogus; evolvantur, lustrentur in oculis patulis, capacibus, avidis morborum *cause* proprie sic dictæ, seu *veræ*, *efficientes* puta; addantur illis *improprie dictæ*, *cause*, seu, ut alias loquuntur, *cause*, *sine quibus non*, illæ scilicet suos edere possunt effectus, *conditiones* causarum, sub quibus scilicet hæc operantur, *rectius dicendæ*; conferantur utræque cum præsentis status phænomenis. Dispiciatur, utrum, aut quænam ex illis se offerant, quæ ista producant, aut produci finant; si omni ex parte ita circumspectæ, earum nullæ deprehendantur, justa fane & fir-

ma erit conclusio *etiologico-semiologica*, certo futura esse alia, quam quæ communioribus illis morborum causis suos deberent natales, pathemata, dicta nempe (§. 5.); si insuper constiterit, illos, de quibus ambigitur, hæc nobis adeo communia, nec emanfura, nondum fuisse expertos, habebimus omnino, quod eo magis liqueat.

§. 37. *Duriora vitæ genera* faciliora sæpe, quam *molliora*, toleratu nobis esse minusque haud raro nocere, plurima docent exempla, & meum ipsius hic condocet evidenter. Pauciora contrarium, hoc tamen et meum iterum. Fruebar valetudine prosperrima, etiam sub non prosperrima & duriori vitæ meæ conditione.

Per varios casus, per tot discrimina rerum

ductus, nullo injuriarum externarum incussu labefactatus præcipitatusque valebam (§. 12.). OPTIMI PATRIS cura deinde ex tot tantisque inquietationibus in quietiorem translatus vitam, literis impendeudam, non obstante hac celeriori etiam & tanta durioris in molliorem vitæ conditionis mutatione, *rariori* post tot incommoda commodæ valetudinis exemplo, iterum nulla graviore tentabar ægitudine. Quin, quæ DEI gratia est, in hunc usque diem firmiori gaudebam sanitate sub magis *commoda vita*, quæ alias toties *minus commodam* secum fert valetudinem. Utroque vero in casu conspectius fieri existimo, *naturæ beneficium a nativitate* jam acceptum. Pro illius itaque discrimine præcipue etiam dijudicandum erit, curæ nostræ commissorum, inde jam vel indurati, vel emolliti,

— — *Quid valeant humeri, quid ferre recusent.*

§. 38. Ad finem properante calamo plura tandem, quæ fusius potuissent exponi et demonstrari, una paragrapho complecti liceat, additis brevitatis causa nudis *citationibus*, eorum, ex quibus hic assertorum demonstrationes facile suppleri poterunt. Præter iam allata (§. 23 — 37.) nempe ex iis, quæ in me ipso & de me ipso expertus sum (§. 12 — 20.), & hæc ultro citroque sese mihi offerentia didicisse juvabit, me minimum: a) *Calefacientia* quævis, adeoque *calida* præcipue, in variolis & morbillis quam maxime nociva (§. 15 17 19.), adeoque b) quovis modo *fugienda* esse *medicamina* & *regimina*, c) *Calidiorem tempestatem* illis non æque ami-



cam esse (§. 15.); d); hac itaque flagrante ista *tanto magis* nocere, e) eaque tum sollicitius *evitanda* esse; f) ubique igitur curandum esse, ut vel *præcaveatur* ejusmodi incendium undecunque imminens, g) vel ortum iterum extinguatur, h) præsertim apud natura jam calidiores, qui illi, ut ego, magis obnoxii; i) illud præcaveri supprimique posse etiam *Venæ sectionibus*; k) has igitur adeoque & alias quasvis *sanguinis depletiones*, illius vices suppletæ, tam *artificiales*, l) quam *naturales*, suo tempore plurimum prodesse, & sæpe mira præstare; m) maxima & gravissima *symptomata* nihilominus sæpe haud adeo gravia protendere *pericula*, quin minora sæpius, quam minus gravia (§. 19. 25.) n), eaque propterea non adeo *extimescenda* esse; o) per plurima artis *impedimenta* multos *eluctari* (§. 19.) naturæ beneficio (§. 12. 23.); p) eluctari eos, qui sæpe deperditi habentur (l. c.) q); haberi porro *noxia*, ab ipsis etiam Medicis nonnunquam, quæ *innoxia* sunt, & potius salutaria (§. 20.); r) *variolas* sanguineo-lymphaticæ (§. 18. 19.), s) *morbillos* sanguineo-ferosæ indolis esse (§. 23.) t) utrinque quidem plane *singularis* hodiernum licet *ignotioris* nec notioris facile futuræ, u) ultra tamen investigandæ; w) utraque igitur miasmata *ab aliis* notioribus *apertiusque præternaturalibus*, quibus aliquo modo adfines esse videntur, probe *discernendas* esse, in *theoria* tam, quam *praxi* nostra medica, illas nempe a quibusvis aliis *purulentiis*, x) has a quibusvis iterum aliis *serosis dyscrasiis*; y) has ideo non obiter habendas esse pro *catarrhalibus*, quamvis ad *catarrhalium indolem* accedere videantur, & vel ipsæ *catarrhales* defluxiones ab *aliis serosis* illuviebus distinguendæ sint; z) ipsorum quidem, de quibus agitur, pathematum aliquam esse *adfinitem*, aa) haud vero tantam, ac quidam volunt; bb) & *in se* illa differre quam maxime (§. 12.).

§. 39. Sed filum abrumpere cogor, omissis multo pluribus quæ hic addi potuissent. Nec plura, ut spero, *tentaminis* hujus postulat

F I N I S.



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

H. L. R. HÜBNERO,

S. P. D.

PRAESES.

TVOS TIBI, PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, quos Ordinis nostri Medici suffragiis promeritus es, LICENTIATI & DOCTORIS in Medicina honores gratulaturus, neque tamen sic præterea nil omnino TIBI relicturus, quod posteriorum curarum monumentis prodendum esset, haud alieum esse duxi, TVAE de TE ipso TVISQUE ipsius variolis & morbillis dissertationi aliquod adjicere paralipomenon, dignum forte etiam, si visum fuerit, quod publice disputetur meliusque excutiat. Altioris nempe indaginis esse, semper mihi visæ sunt duæ illæ, quas in TE ipso quoque deprehensus es, *variolarum & morbillorum conditiones*. Una quippe, quod *ordinarias* morborum causas non agnoscant hæc pathemata, quin imo sæpius à suo ipsorum contagio propagari recusent; altera, quod tam *ortus*, quam *decursus* sui *stata*, præ aliis omnibus mortalium afflictionibus, habeant *tempora*, ferventque tam exquisitè, ut sæpius etiam vehementer immedita enormiterque perturbata à regula plane deturbari nequeant. — Commune hanc, TVA ipsius de TE ipso experientia egregie confirmat. Plane singularis hæc naturæ lex, ita promulgata, atque usque adeo *stabilis*, eo ipso *altius* sane inquit *consilium*, quod omnino scrupuloser scrutari nos jubet, & momento suo ponderare prona inde *confectaria*, majorem certe rebus nostris lucem affusura. Eorum *causæ* pauca sunt. Duo ex illis hic tantum ad usum promere liceat. Unum hoc esto: Quam certum est, *profunde nos ignorare* justum illud tam stabili naturæ lege præstitutum tempus, quo quemvis illa his adfici velit pathematibus, tam certum est, quovis alio tempore, non *naturæ lege altiore consilio* scripta, sed contra hunc *naturæ ordinem* illa mortalibus inferri, adeoque nunquam, nisi forte fortuna (cujusmodi casus longe rarissimus *canoni* huic pro nihilo esset) fieri posse, ut *insitionis* institutum, huic *naturæ ordini* sit consentaneum. — Alterum ita habet: Quam indubitum est, pathemata illa hæc *nativitatis* suæ *stata tempora* *normamque* tam pertinaciter servare, ut non nisi *vi facta*, eademque quidem plane *enormi*, aliis possint extrudi temporibus, quin haud raro *violentiora* etiam tentamina spernant, tam certum iterum est, eadem violentia quoque adversus adeo reluctantem naturam grassari artem, quæ *insitionis coactu* illa huic è manibus quasi extorquere conatur. — Ne vero sic docendi potius, quam *discendi*, studio captus in medium hæc proferre voluisse videar, *dubitare* hætenus tantum, &, ut in tanti momenti rebus certiora tandem propius solidiusque edoceamur, *interrogare* liceat, — Non quidem: An reapse usque adeo invita ita cogatur natura, id enim modo evictum est, atque manifestum planum, ut a nemine possit negari, — sed: an *insititia* ejusmodi *exanthemata*, vere eadem sint, quæ *spontanea*? An *Variolæ insititiæ naturalibus* similes? An, inquam,



inquam, reapse vera? Est si quidem quadantenus tales, (namque plane easdem esse necdum pro satis explorato haberi potest) — An illæ etiam ita comparatæ sint, ut spontanearum vices æque feliciter subire possint, aut subierint hætenus? An non forte infelicius? — An causæ hujus momentum ita exploratum habeamus, ut de nullo in ea amplius superstite subreptionis vitio metuendum sit? — An, igitur natura, quæ alias duci mavult, quam cogi, non idem & hic velit consultius? — Minimum, sin in re tam gravi nosmet ipsos, aliosque, legitime hic ambigentes, certiora erudiri, sicque ab omni præcipitantia præjudicio liberi esse volumus, facile largiemur, nil eorum, quod in ea adhuc ullo modo dubium esse posset, leviter habendum, sed curatius prius expendendum esse, quam, quod usque adeo invita natura suscipiendum est, bona fide, salvoque nostro officio, tentare & pro tanto generis humani beneficio habere possimus, & commendare — Qua animi æquitate justam hanc adtuli postulationem, eadem & suscipiam, quæ forte supererunt, ad illam monita, totam rem hætenus in medio relinquens. — Sed ad TE propius convertor, PRAENOBILISSIME DOMINE CANDIDATE! TVA apud nos præstanda præstitisti omnino egregie. Hæc spem nobis faciunt, TE neutiquam futurum esse medicum ex commentario. De TE ipso scripsisti. Fac ut plura de TE ipso scribere possis. Fac ut possis potiora. At at, quæ hæc monita? Quæ vota? Faciamne, posses ambigere, ut non valeam, vel ideo, ut de me ipso scribere possim? Numnam illius ergo in optatis habetur adversa mea valetudo? Et quæ scribam potiora? Forsanne, quia talia hac vice neglecta sunt? Neutrum eorum volo, JVCVNBILISSIME AMICE! Ergo sic habeto apertius: Ut facias, ut non valeas, dictu esset impium. Fac, ergo, velim, etiam, ut valeas, ut nunquam sic habeas, quod de TE ipso possis amplius scribere. Facies id quidem, me non monente, si potueris. Ast non poteris semper. Ea enim est sors nostra humana, ut suos quisque patiaturs manes, sæpe inevitabiles. Hi nisi fuerint ineluctabiles, fac ut elucteris arte TVA, juxta tritum illud: Medice, cura Te ipsum. Sin ita TVA, vel sola, vel ab aliis adjuta, cura fueris eluctatus, fac, ut scribas, unde & quomodo? Fac, addo, ut tum, quam nunc, potiora possis scribere, ut scribas etiam, si potueris. Poteris autem continuata TVA, qua inter nos cœpisti, in rebus medicis indagandis assiduitate & dexteritate. Poteris, inquam, eo indies potiora quo locupletior TVA erit praxis, & rationis & experientiae frugibus. Dies enim diem docet, nunquam ex animo dimisso illo: Plus ultra. Ita vero velificante et alto DIVINA benedictione futurus eris TVAE ipsius aliorumque salutis custodem quam maxime idoneus, atque fortunatus. Quam felicitatem pro eo, quo es, animo, auguror precorque impense. Ceterum ut TVA amicitia mihi semper erit longe gratissima, ita TE de meis erga TE officiis quam certissimum esse volo.

E Museo

d. 14. April. 1768.

